



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi  
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismvs  
Catholicus, summam Christianæ institutionis IIII. libris  
succinctim complectens**

**Klinge, Konrad**

**Coloniae, 1570**

**VD16 K 1309**

Quid sunt promissiones legis & Euangelij. tit. 140

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29452**

uationem impetrat fides, & retentionem ipsa obediens  
præceptorum, quæ dicit ad possessionem regni  
Dei, iuxta illud Matthæi 25. Esuriui, & dedisti mihi  
manducare. Ideo si non retineretur distributa gra-  
tia, nec sequeretur possessio regni: sicut, nisi come-  
deris, non possidebis vitam, licet cibus non det vitam,  
sed Deus &cæ.

**QVID SUNT PROMISSIO-**  
*nes Legis & Euangeli.*

TITVLVS CXL.

Romissio est verbum Dei, quo nobis alii  
quid promittit vel daturum aut factu-  
rum propter Christum, & nullam aliā  
habet causam, nisi Christum. Est enim  
penitus gratuita, & non habet causam  
in nobis. Propter Christum electi sumus ad vitam an-  
te constitutionem mundi, Ephes. 1. Propter Christum  
sit promissio remissionis peccatorum, Ioan. 3. vt om-  
nis qui credit, & cæt. Propter Christum datur & pro-  
mittitur Spiritus sanctus, Ioan. 14. quem mittet pater  
in nomine meo. Propter Christum promittitur vita  
eterna, & donum est propter Christum, Roman. 6.  
& propter Christum nostræ exaudiuntur preces, Ideo  
iubet petere in nomine suo. Non igitur Deus à nobis  
accipit occasionem promittendi, sed à Christo filio  
suo: Non à lege, sed à misericordia sua. Non igitur o-  
pera nostra merita sunt, vt propter illa accipiamus  
promissiones, sed solum media, per quæ ad nos veni-  
unt, & nobis applicamus Christi beneficia.

Sunt autem duplices promissiones Dei: quædam  
reficiunt legem, & dicuntur promissiones legales:  
Quædam vero Euangelium, & dicuntur Euangelicæ  
promissiones. Fides apprehendit Euangeliæ promis-  
siones, & lex suas promissiones. Atq; sic nec Euange-  
lium, id est, fides, nec obediens legis est inanis aut  
posthabenda credens.

Prima

Prima Euangelica promissio propter Christum est, quod Deus non vult despicere cor contritum, Psal. 50. sed credenti & confugienti ad Christum, dare tam eternam, Ioan. 3. Sic pater dilexit mundum, filium suum daret, ut omnis qui &cæt. Secunda Euangelica promissio, quod credenti omnia, quæ pertinet in nomine filij sui, vult dare, & exaudire, Ioannis 16. Usque modo non petistis quicquam in nomine meo: Petite nunc, & accipietis: Hæc est altera missio propter Christum.

Tertia Euangelica promissio, quod oves, qui dedit sibi pater in manus suas, nemo debet de manib[us] suis rapere, Ioannis 10. eò quod pater, qui sibi illas dedit, & cui æqualis est in diuinitate, maior est omnibus creaturis, Angelis, Sathanæ, hominibus, &c. sub. inde, quod vicit peccatum, mortem & Sathanam, Iohannes dicit, Confidite, quoniam ego vici mundum.

In illis tribus promissionibus comprehenduntur omnes aliae promissiones Euangeli, quæ debent contingere credenti propter Christum. Et si omniū promissionum diuinarum pignus est Christus, Eph. 1. Sic omnes promissiones de remissione, salute, cœludatione, quæ signantur, futurum statum in aeternum spiciunt, dicuntur promissiones Euangeli, & proprie tam personam Christi sunt factæ, qui solus est causa omnium promissionum.

Secundò, sunt promissiones legis, quæ Deus iudicatis & baptizatis pro obedientia legis facit & donat, propter Christum tamen qui semper manet causa promissionis. Deus enim nihil nobis debet, etiam cum omnia fecerimus, Luc. 17. De illis promissionibus scribitur Exod. 20. Leuit. 26. Deuter. 28. Et sunt multiplices. Quædam enim respiciunt corpus, ut sanitatem à pestilentia & ylceribus: longam vitam, benedictionem in rebus, agris, arboribus, animalibus, fratrib. ventris, granario, cellario, id est, panem & vitu-

quorū

quotidianum: Pacem à bello, constitutionem rerum & augmentationem, custodiam à furibus, incendio, tembris, dare Solem & pluuiam recto tempore. Sic Daniel ieiunat, & sapientiam acquirit: sic sapiēs magistratus, sic Hester oratione & ieiunio obtinet victoriā. Vidua Sareptana abundat oleo, &c. Sic obedientia legis habet sua præmia in hac & post hanc vitam secundum gradus laborum, 1. Corinthior. 3. & 15. differēt stella à stella, &c. sed inter huiusmodi promissiones non sit mentio de remissione peccatorum, de donatione Spiritus sancti, aut de vita æterna. Hæc enim pertinent ad Euangelium, & per fidem in Christum gratis apprehenduntur: solum causam habent victimam Christi, Esa. 53. Ergo Deus obedientiam legis etiam ornat his donis, atque promittit in millia benedictionem & præmium, & minatur in 3. & 4. generationem punitionem ijs, qui negligunt eius præcepta, Exod. 20.

Et sic patet, quomodo lex habet suum circulum, & speciales suas promissiones: & Euangelium quoque habet suum circulum & promissiones. Ideo distinguitur hæc distinguere & interpretari oportet, ne fiat mixtura, ne hoc tribuamus legi, quod fidei & Euangeli debetur: è diuerso hoc quod legi debetur, fidei. Virumque igitur est necessarium ad salutem, credere Euangelio & pœnitere, id est, legem facere, quæ sunt opera pœnitentiæ, & custodiunt iustificationem. Vnum, id est, fides, apprehendit: alterum retinet, &c. Ut igitur in præsenti, unus est altero sapientior, diuina, fortior, & cetera. & in cæteris sensibus abundat plus altero: sic in futura gloria erunt accidentalia præmia, & tamen sicut stellæ omnes erunt in uno coelio, licet altera altera clarior & maior sit: sic lex diuer- si habebit præmia, Ioannis 14. In domo patris mei mansiones &c.

QVÆ